

Disputatio Theologica De Certitudine Gratiae Erga Nos Divinae

Rostochi[i]: Litteris Joachimi Pedani, M.DC.XXXV.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1675890064>

Druck Freier  Zugang



DISPUTATIO THEOLOGICA
De
CERTITUDINE
GRATIÆ ERGA NOS
DIVINÆ,
Quam
OPITULANTE DEO

Ex
Decreto & Consensu
Reverendi & Amplissimi Collegij Theo-
logorum in Academia Rostochiensis.

PRÆSIDE

Reverendo: Clarissimo & Excellentissimo Viro
DN. JOHANNE COTHMANNO;
SS. Theol. Doct. & Professore Pub. ac p. r.
DECANO spectabili,

Pro summo in Theologiâ Gradu consequendo
publicè examinandam proponit.

THOMAS LINDEMAN, Rostochiensis. Prof. SS Th. design.

Add. 3. Aprilis horis antè & postmeridianis.

ROSTOCHI,
Litteris **JOACHIMI PEDANI,** Acad Typ.
ANNO M. DC. XXXV.

OPUSCULUM THEOLOGICUM
DE
GRATIA ET LIBERTATE
AUCTORIS
M. J. B. S.

OPUSCULUM THEOLOGICUM
DE
GRATIA ET LIBERTATE

OPUSCULUM THEOLOGICUM
DE
GRATIA ET LIBERTATE

OPUSCULUM THEOLOGICUM
DE
GRATIA ET LIBERTATE

2018. 20264

ALTA 244



יהוה הצליחה נא.

DE CERTITUDINE GRATIAE ERGA NOS DIVINAE.

Περί τούτου.



SI RES PRETIO SUO AESTIMARE velimus, inter Controversias, quae cum Pontificiis nobis intercedunt, nobiliores, iustissimo certè calculo illam locabimus: quae de Certitudine gratiae erga nos divinae non levi partium contentione, agitur: non

utilitate, non rerum pondere, aliis vel gravissimis cessura. Labefactata enim Certitudine remissionis peccatorum, Conscientiam immanes tristissimarum dubitationum fluctus impetunt, angores gravissimi perpetuo circumstant, ac veluti truculenti quidam carnifices circumvallant, in aeternum desperationis ac gehennae barathrum hominem praecipitaturi; nisi gratia divina auxilio veniat. Praeterea dubitationi huic velut fundamento universam undinationis Pontificiae molem superstructam videas: haec illa Helena est: pro qua tantis viribus in Papatu digladiari solent; cavent nimirum; ne quis eam sibi ereptum eat, quaestus, ac bolotam opiparo eos defraudet. Quandoquidem animi pendens homo, tribuatne fidei Christi merito unice innitenti, efficaciam tantam, ut pulsà omni formidine, de remissione peccatorum salutem consequendâ, quam certissimum se reddere queat, incipiet variis viis dubitationis huic malo occurrere; & in operibus à Deo

non mandatis ac culibus electiis medelam quarere volet. Hinc
se ad vota, peregrinationes, fraternitates, opera indebita, & su-
pererogationis; Sanctorum supplicationes, Missarum & Indul-
gentiarum forum converteret: nec tamen in hoc licet instructissimo
superstitionum myrothecio, inveniet, quo laborantem conscien-
tiam soletur vel reficiat. Dubitatione hac Pontificia ligna de-
inde magnâ copîâ comportata sunt ad Purgatorij ignem accen-
dendum: ad quem misella & simplex plebs, morri jam vicina; de-
speratis omnibus praesidiis, velut ad asylum ultimum, ita à docto-
ribus suis persuasa, confugere necesse ha- uir; & quo citius animæ
eo exirent, preces & suffragia cleri, nummis bene multis emenda.
Hæc sunt lucra Papalia; suavia & odorifera ex re qualibet; &
jam tot animarum eterno exitio emptâ. Opera igitur pretium
fuerit; utilissimam hanc questionem: An videlicet homo fi-
delis, se verâ fide præditum, & cum Deo per Christum
in gratiam rediisse, certus esse possit: accuratius nonnihil
considerare & evolvere. Duplici hoc ipso defungemur labore:
Conscientiam nostram contra diaboli insultus, validissimo certissi-
mi favoris divini munimento muniemus: & operâ unâ, in uno er-
rore, seu capite, errores plures Papicolarum prostrigabimus. Ne
autem instabili veluti jactemur equore: certâ progrediemur me-
thodo, & intra tres quasi limites, totam Disputationem nostram
artabimus tribusq; absolvemus sectionibus. Prima erit: ΠΕ-
ΡΙ ΤΕΡΜΙΝΩΝ: & Terminos Questionis ambiguitatibus suis exuet;
secundumq; Controversiæ verum formabit. Hanc deinde excipiet
Alterâ ΚΑΤΑ ΤΕΡΜΙΝΩΝ: quæ sententiam nostram de Gratia Certitu-
dine Argumentis firmissimis adstruet. 1. Scripturæ testimonijs 2.
Rationum ex eadem depromptarum momentis. 3. Antiquitatis &
4. ipsorum adversariorum suffragiis. Claudet Tercio ΑΝΤΙΤΕΡΜΙΝΩΝ:
hæc Sententiam Pontificiorum de Dubitatione contrariam de-
struet; ac breviter refutabit. Quod igitur Deus bene vortat. Esto.

SE.

SECTIO I.

Περὶ Ἐπιστεως.

T H E S I S I.

Quandoquidem solemne est adversarijs, imprimis Bellarminio, etiam in presenti Controversia, vocum ambiguitate ludere: & incautioribus glaucomam ob oculos obijcere; profuerit terminorum quorundam simplicium explicationem pramittere; tum, ne Andabatarum pugnemus modo; tum, ut faciliorem ad artem ipsius cause deinde invadendam, aditum nobis struamus.

II. Termini: quorum in nostra Quaestione crebrior usus est, potissimum hi sunt. Fideles: Fides: Certitudo: Justitia: Gratia: Salus.

III. 1. Fidelium vocabulum πλοσημον est: & sub eo vel fideles universim quovis modo, vel adulti tantum, intelligi possunt: qui rationis usu pollent, & actus fidei latentis elicere possunt & applicare. Posterior significatio hic obtinet.

IV. 2. Fides dupliciter distingui solet. Est ea divina vel humana. Divina, cordibus divinitus infunditur: ordinariè quidem per Verbum & Sacramenta: extraordinariè quandoque, ex singulari Spiritus S. operatione. Est quoque firma cordis fiducia. Humana, humanam auctoritate nititur & intellectum saltem ad assensum permoveat. De priori hic agitur.

V. Alia deinde est, quae creditur, sive Catholica doctrina in Scripturis revelata: alia, qua creditur, sive specialis: quae propositis in Scripturam non tantum assentitur fidelis, sed sibi applicat, ut salutem consequatur. Illo modo accipitur: Act. 6, 7. Gal. 1, 23. 1. Tim. 3, 9. Tit. 1, 13. Hoc: Mat. 8, 10. Tit. 1, 1. Hebr. 11, 1. & passim. Quae fidei distinctio Augustino quoque probatur l. 13. c. 2. de Trinitate. Aliud, inquit, sunt ea, quae creduntur:

aliud fides, quàm creditur. Illa in rebus sunt, quæ vel esse vel fuisse, vel futura esse creduntur. Hæc autem in animo credentis est, ei tantum conspicua, cujus est. Et tamen nomine fidei continetur utrumq; & illud scilicet quod creditur; & id quo creditur. Plures fidei significationes collegerunt alij. Nos fidem hic specialem & promissiones sibi applicantem consideramus.

VI. Observandum enim, Fidem apprehendere quidem omnia in Scripturis sanctis proposita: sed non eodem modo. Aliter ea, quæ simpliciter pertinent ad doctrinam, quæ res sacras extra nos positas concernunt: aliter vero ea, quorum usus in applicatione consistit. In primo ordine censentur, quæ de Deo, de Angelis & Creaturis &c. proponuntur in eum finem, ut credantur ita esse: in altero, quorum finis, praxi terminatur: Cujusmodi sunt, quæ ad Justificationem, sanctitatem & salutem nostram spectant; & sine applicatione ne hilum nobis prosunt.

VII. 3. Certitudo primò vel est supernaturalis: concepta ex revelatione Dei, aut extraordinaria: qualis jam communiter cessat: aut ordinaria: qualem in Verbo habemus: quam omnibus in genere propositam, fideles singuli ex promissionibus Dei infallibilibus & effectis ac signis fidei deprehensam, sibi firmissimè applicant. Vel Naturalis: nata ex mediæ firmitate, ab ingenii bonitate, & voluntatis affectu. De qua hic nulla nobis questio.

VIII. Certitudo deinde vel ad objectum refertur; vel ad subjectum. Certitudo objecti est, immutabilitas rei cognita, vel credita. Certitudo subjecti est, firmitas ad sensus nostri ad rem, quæ cognoscenda aut credenda proponitur. Ea autem pro diversitate mediorum, in subjecto capaci & rectè affecto quadripartita statui potest. Experientiæ sive sensus, qui circa proprium objectum, si omnia rectè se habeant, non fallit. Scientiæ: conclu-

102

tionis ex indubitatis principiis. Intelligentiæ principiorum, in
Theoreticis; ut Prudentiæ in practicis; Fidei in reuelatis. Atq;
hec non tantum assensiva in Intellectu: sed fiducialis in cor-
de applicante, & acquiescente in creditorum firmitudine. Nos
hic de certitudine subjecti (hominis credentis) & fidei, solliciti
sumus. Ubi obiter hoc notari velimus; objecti necessitatem abusive
certitudinem vocari; ut pote quæ affectio est non tam rerum,
quàm cognitionis nostræ; à quâ vel firmâ vel dubiâ res cer-
titudinis aut incertitudinis denominationem sortitur.

IX. Bellarmin. lib. 3. de Justif. c. 2. aliam adhuc Certitudi-
nis distinctionem adducit; ut sit, evidens quædam, quædam ob-
scura; cujus iterum tres gradus facit. Distinctionem ipsam hæc
non examinamus: saltim in Cardinale merito notamus & carpi-
mus, manifestam Contradictionem; quod quam modo nomi-
narat fidei divinæ certitudinem obscuram; nihilominus absolutè
& simpliciter certitudinem dicat, cui nullâ ratione falsum sub-
esse possit: & rursus, quando in tertio obscura certitudinis gradu:
Conjecturalem quandam comminiscitur. Scipes profectò sit,
aut nihil intelligat, oportet, qui non videat hanc certitudinis
distinctionem, cum definitione generali certitudinis in initio hujus ca-
pituli traditâ: Certitudo nihil aliud esse videtur, nisi fir-
mitas quædam & immutabilitas veritatis. Illud enim di-
citur certum: quod exploratè NB. & immutabiliter est
verum; obviâ fronte committi,

X. 4. Justitiæ quoq; non una est acceptio; in Controversiâ
tamen de Justificatione & hac nostrâ frequentiores hæc duæ sunt:
Justitiæ inhærentis, quæ hominis; & Imputatæ, quæ Chri-
sti Salvatoris merito parta, hominis credentis fit, per fidei appre-
hensionem. Hac, non illa, ut pote imperfecta; fidem veram in nobis
gignere potest.

XI. 5. Gratiæ vox similiter est ἐν τῶν πολλὰ κῶς λεγομένων.
Ust

Utiatissima & principalis in sacris significatio est, quâ gratuitus Dei favor, misericordia & dilectio; quâ credentes complectitur, insinuat. Reliquæ minus principales à principali hac dependent. Ut quando notat, semel: dona gratuita Spiritus sancti, credentibus infusa. 1. Corinth. 1, 4. Gracias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu. Ephes. 4, 7. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, 1. Pet. 4, 10. Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Iterum compensationem doni gratis dati, Luc. 17, 9. Num gratiam habet seruo illi? Tertio gratiositatem seu comitatem; quâ quis honorum amorem sibi conciliat. Luc. 2, 52. Act. 2. ult. Quarto Eleemosyna gratia etiam nominatur Apostolo, 1. Corinth. 16, 3. ut referant τὴν χάριν ὑμῶν (Beneficentiam reddit Erasmus) Hierosolymam. Videantur Chemnitius in L. C. loco de Justif. p. m. 285. & alii.

XII. 6. Salus est duplex. Inchoata sive viæ: Tranquillitas sc. Conscientiæ ex ὑπονομίᾳ indubitatis ἡμετέροις acquisita: vel consummata sive patriæ: post hanc vitam consequenda. De utraq. certus esse fidelis potest, sed quo discrimine, post dicitur.

XIII. Evolutâ terminorum ambiguitate proximum est, ut verum & genuinum Controversiæ statû eruamus, quem in multas formas invertere; & sic extra oleas vagari, non novum est adversariis. Removeamus ergo quæstiones vel falsas vel heterogenas, usq. dum veram inveniamus.

XIV. Sequestramus à Quæstione nostrâ. Fidem Hæreticorum: qui erroneas falsasq. opiniones cum fundamento pugnares amplectuntur, fovent, ac pertinacius defensitant. Hæretes enim cum inter opera carnis, e regno caelorum excludentia, numerentur: Gal. 5, 20. 21. in hæreticos veram fidei ἀληθῆς πορείαν competere non posse, certum est.

XV. Sæ

XV. Segregamus 2. Inanem fidei persuasionem Epicuræorum & impœnitentium : qui passim vitam per concessas voluptates transigentes, impunitatem nihilominus & gratiam Dei sibi promittere audent. Mendax hoc fidei simulachrum, ne nomen quidem fidei meretur, quam vivam & per charitatem efficacem esse oportere scimus.

XVI. Separamus 3. Fidem historicam & generalem quâ etiam Hypocritas. Act. 26, 27. & ipsos dæmones Jac. 2. 19. præditos esse posse; constat.

XVII. Nec queritur 4. de Fide magnâ, inconcussâ, semper, & ab omni infirmitate liberâ. *Experiantur enim fideles Fidem innatæ imbecillitatis respectu concuti aliquoties & fluctuare, præsertim sub cruce aut luctâ tentationis: & fides talis quamvis infirma, modò in verum feratur objectum, Christi meritum, vera est; nec obstat, quod hæsitacionem aliquam nonnunquam conjunctam sentiat. Illius namq; duplex genus; unum quod fidei naturam planè destruit: alterum quod fidem nonnunquam comitatur: quomodo sunt nonnulli morbi, qui non possunt consistere cum sanitatis parte ullâ, & à quibus natura superatur; aliqui sunt: qui cum aliquâ sanitatis portione consistunt. Qui sic dubitat, ut ipse dubitationi obluetur, tandemq; eluatur; ille ita dubitat, ut hoc non impediatur, quo minus verâ sit fide præditus, etiamsi exiguâ. Facit hoc fidelis, & infirmitates hujus modi fidei deprecatur, emendationem & incrementa petit cum patre lunatici, Marc. 9. 24. & Discipulis. Luc. 17. 5.*

XVIII. Nec controvertitur 5. propriè de Certitudine electionis, & finalis perseverantiæ. *Sint enim licet hæ conjunctæ & affines quæstiones, præstat tamen cum justificatione eas non confundere, quod non utriusq; quoad omnia, par sit certitudo.*

XIX. Nec disceptatio nunc instituitur 6. An certitudinis & fiduciæ illius fundamentum in nostris viribus meritisq;

B

ritisq;

ritisque statuendum. *Apage cum lubrico hoc & arenoso fundamento. Præsupponimus fiduciam unice in Deo per Christum esse collocandam juxta promissa divina in Scripturis promulgata: non in hominum operibus debitis, imperfectis, rigorosumq; æterni judicis examen, sine misericordiâ ea discutere volentis, non ferentibus. Illinc certa solida consolationis & salutis spes affulget: hinc lata ad perpetuos animi angores & desperationis præcipitia via se aperit.*

XX. Nec 7. in controversiam venit: Cognitio naturalis. An quis per lumen naturale intellectus certo & evidenter scire possit, an sit in gratia? Hoc enim neminem posse, facile largimur omnes.

XXI. Vel etiam 8. Extraordinaria: quæ hodie amplius non datur; & frustrâ aliæ, extra Scripturam, revelationes de fide & doctrinâ expectantur.

XXII. Vel 9. Certitudo individualis fidei Scripturâ expressa, quandoquidem illa de singulis individuis $\alpha\tau\ \rho\eta\tau\omega\ \nu$ tale quid non exponit.

XXIII. Nec ultimum & 10. propriè lis nobis cum Pontificiis est de Consummata Salute. Nam ut thes. 12. distinximus: Salus duplex est: Inchoata una, quæ in remissione peccatorum consistit, & homini credenti in hac vitâ conferitur. De istâ credens, absolute & infallibiliter certus esse potest. Alia est consummata, beatitudinem gloriæ respiciens, & post hanc vitam demum conferenda. De hac non absolute ut de priori, sed eâ tantum conditione infallibiliter fidelis certus est, ut nisi ipse malitiose à Deo discedat, & fidem percinaciter abjiciat, de consequendâ salute nil dubitare habeat.

XXIV. Jam igitur sepositis iis omnibus, quæ questionem propriè non attingunt, non difficile erit veram Controversiæ $\sigma\iota\omega\ \nu$ formare. Et hæc est. An verè fidelis & justificatus; fide non hypocrítica, non historicâ tantum & generali, sed

verâ fiduciali, non suis operibus, sed Christi merito u-
nicè innitente, certus esse possit & debeat, ex Scripturæ
ordinariâ revelatione, in præsentî sibi peccata esse re-
missa, & se apud Deum in gratiâ esse? Nos moti invictis
fundamentis affirmativam amplectimur. Pontificii contra: pe-
riculum metuentes quæstuosæ suæ nundinationi, levibus instructi
rationibus in negativam eunt sententiam. Conferemus utramque.

SECTIO II

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ.

XXV. Positam thesin sententiæ nostræ de Certitudine bene-
volentiæ Divinæ: quam justificatus fide verâ, interveniente me-
rito Christi certò sibi promittere possit, demonstrant ac roborant:
Scriptura: Rationes ex Scriptura: Primitiva Ecclesia:
Adversariorum Confessio.

XXVI. Scriptura sententiam nostram stabilit: & dictis
& Exemplis.

XXVII. I. Dicta ordinis & methodi causâ certis quibusdam
classibus includi possunt.

XXVIII. Prima continet voces fidei certitudinem i-
p̄sis apicibus & genuinâ significatione asserentes. Ap-
pellatur enim ἡ ὑπερωπεία ἐλπίζομένων. Ebr. 11, 1. De vocibus his
quavis dissideant interpretes, & quidam dictionem ἐλπίζομένων
activè accipiant, ut idem sit, quod hominum sperantium:
sitq; hic sensus: fides est substantia sperantium, id est, vita
& anima, quasi sustentans hominem, cœlestia bona spe-
rantem; alii exponant passivè, ut idem sit, quod speratarum
rerum, hoc sensu, fides largitur esse rebus speratis, easque
in animo sperantis quasi vivere & existere facit; quæ ex-
positio Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 5. probatur: Nos tamen aptis-
simam

firmam Lutheri versionem censemus reddentis: Der Glaube ist
 eine gewisse Zuversicht des / das man hoffet; ita ut *ὑπόστασις*
 hoc in loco immotam fiduciam noter. Unde etiam inter-
 pres Syrus ἐμφατικωτέρως hæc verba transtulit. Fides est
 persuasio de his quæ sunt in spe, ac si illis essent in effe-
 ctu; ubi nomen *נֶדָוָה* certam persuasionem infert (à radice
נָדָה persuasit) & pro voce græca *πιστιμωή* Gal. 5, 8. & *ἀληθινο-*
εἶα 1. Theff. 1. 5. Coloss. 2, 2. substituta invenitur. Eodem sensu
 apud Græcos vox *ὑπόστασις* crebrò accipitur, quæ *ᾧδὲ τὸ ὑπι-*
στάναι à subsistendo dicta est, & propriâ ac originali signifi-
 catione importat firmam mentis subsistentiam, quando ani-
 mus in semel conceptâ fiduciâ firmiter subsistit ac per-
 sistit. Exempla hujus significationis in sacris passim obvia sunt,
 Ps. 38, 11. juxta distinctionem, Ebr. 39, 8. Et nunc quæ est expe-
 ctatio? nonne Dominus? & substantia mea ad te. LXX. vo-
 cem *ὑπόστασις* habent, & eâ verbum Ebræum *תְּהִיִּת* quod spem
 & expectationem notat, expresserunt. Item Ps. 68, 2. *ἐν ἐπιπέδῳ εἰς*
ἰλῶν βοτῶν, καὶ οὐκ ἔστιν ὑπόστασις, Inductus sum in limum
 abyssi, & non est subsistentia; non habeo in quo figam pedem.
 In Ebræo verbum *יָמַעַמַּ* statum sive stationem, fundamentum si-
 gnificat. 2. Corinth. 9, 4. Ne cum venerint Macedones mecum,
 & invenerint nos imparatos, erubescamus nos, *τῇ ὑποστάσει τούτῃ*
τῆς καυχήσεως, in hac fiduciâ gloriationis. Et c. 11, 17. ubi vox ea-
 dem recurrit. Luculentissimus in hanc rem locus est Ebr. 3, 14.
μέτρος γέρον αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, ἐὰν πῆρ πλὴν δεξιῶν τῆς ὑποστάσεως
μέχρι πλάτης βεβαίαν κατὰ χωμῶν. Conferatur vers. 6. ubi mut a-
 tis nonnihil verbis, eadem sententia præmittitur, & quid *ὑπόστα-*
σις hic significet, clarissime patebit. Verba hæc sunt: *Χριστὸς δεῦξ*
ἡὸς ὑπὲρ τὸν οἶκον αὐτοῦ. ὁ οἶκος ἐστὶν μὲν ἡμεῖς, ἐὰν πῆρ πλὴν παρησιας
καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι πλάτης βεβαίαν κατὰ χωμῶν.
Ἦτις παρησία ὁ καύχημα τῆς ἐλπίδος dicitur, quæ poetæ *ὑπό-*

ἐπίσης. Adungere hic possumus ex profanis Scriptoribus hujus significationis exempla. Diod. Siculus lib. 15. Θεσπαιοὶ τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν, ἔπεισθησαν. Thebani qui id sibi firmissimè persuaserant, admissi non sunt. Idem lib. 16. ἐπίπερ δὲ αὐτὸν πρὸς τὴν ὑπόστασιν αὐτῶν ὄνειρον ἐμφασιν δόξας μετὰ ληξ ἀνέστη καὶ δόξης. Illum (Onomarchum intelligit) tantà confidentiâ erexit summum, magnas opes & gloriam ei ostendens, Polybius l. 6. de Horatio Coelice. ἔχου τὸν δῶμα μιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτῶν καὶ τῶν ἰσχυρῶν καὶ πεπληγημένων τῶν ἐναντίων. Hostibus non tam robur, quam imperterritam animi fiduciam & audaciam metuentibus.

XXIX. Vocatur 2. etiam fides loco modo allegato ex Epistole ad Ebr. ἔλεγχος τῶν μὴ βλέπωντων, id est, certa probatio & evictio rerum non apparentium; ac veluti repræsentatio. ἔλεγχος enim certum & evidentissimum argumentum est, quo adducimur, ut fateri cogamur, rem ita & non aliter se habere. Ita usurpatur ἔλεγχος & ἐλέγχω Job. 3, 20. 1. Corinth. 14, 24. Tit. 1, 9. 2. Tim. 3, 16.

XXX. Aliis præterea nominibus Fides insignitur, quæ omnia fiduciam & certitudinem non obscure innuunt. Ut cum 3. dicitur πλῆρες φροσύνης, id est, firma animi & plena persuasio, Ebr. 6, 11. cap. 10, 22. Rom. 4, 21. Notanda vocis emphasis. Descendit ea à voce πλῆρες φροσύνης, quod Apostolo Paulo significat, pleno animi assensu ac motu aliquid agere: ut patet ex exemplis. Rom. 14, 5. Ut unusquisque in proprio sensu πλῆρες φροσύνης, certà notitiâ constituat, pleno animi assensu statuatur. 2. Tim. 4, 5. ministerium tuum πλῆρες φροσύνης, id est, monstra te esse ministerium Christi certis & firmis documentis, quod sit constanti & sedulâ administratione. Ibid. vers. 17. Ut per me prædicatio (Evangelii) πλῆρες φροσύνης, id est, diligenter ac seriò promoveatur. Sic, πλῆρες φροσύνης πρὸς ἄλλους. Luc. 1, 1. dicuntur nota, certissima ac inambigua, si ve ea quæ certis testimoniis ita sunt comprobata,

ne quidem ambigere de iis liceat. Adde locum Ecclesiastæ cap. 8. 11. qui iis quæ modo diximus lucem non exiguam accendere potest. Fontes sic habent: מלא לב בני האדם בנהם לעשות רע. Plenum est cor filiorum hominum in his ad faciendum malum; quâ phrasi Ebræi summam audaciam exprimere solent. Sic Ahasverus Esth. 7, 5. de Hamane internecionem Estheræ & ejus populo meditante: Quis ille, ait, quem implevit cor ejus, ut faceret sic? ut Ebræa verba sonant, quasi diceret: quis eò audaciæ pervenit, ut &c. Confer ex N. T. Act. 5, 3. LXX. emphasin phræseos hujus commodissimè exprimi posse censuerunt nostro verbo πλεροφορεῖν, unde verterunt: Δὲ ταῦτα ἐπλεροφόρηθη καρδία ὑῶν τῶ ἀνθρώπων ἐν αὐταῖς τῶ πνεύματι τῶ πνεύματι. Aquila, ἐπὶ πλησῶν; Symmachus, ἀφόσῳ καρδία οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων καρουροῦσιν. Patet hinc propriâ vocis hujus significatione summam confidentiam involvi.

XXXI. Elegans est metaphorâ, à quâ desumptam verbi hujus significationem censet Flacius part. 1. Clav. Script. in voce Plerophoria: à navibus videlicet cum plenis & inflatis velis incitatae feruntur. Videtur enim similitudo quædam navium plenis velis euntium, & animorum plenâ persuasionem ac spe aliquid concipientium & agentium. Nec dispar est ratio fidei, cui non sine causa, ab Apostolo πλεροφορίας nomen inditur. Nam & illa verbo Dei & Spiritus sancti interno adoptionis testimonio, velut secundis ventis incitata, omnesq; dubitationum scopulos secunda prætervehens, rectissimo ac inoffenso cursu, ad tutissimum gratiæ peccatorum remissionis, ac gratiæ divinæ portum contendit ac appellit.

XXXII. Habet porro 4. Fides in sacris τῆς παρρησίας nomen. Eph. 3, 12. Ebr. 3, 6. cap. 4, 16. c. 10, 35. 1. Joh. 3, 21. παρρησίας autem dicimus magnam libertatem & insignem animi fiduciam. Conjungantur ex versione LXX. Joh. 22, 26. ἔτε παρρη-

διαθήκη ἐνώπιον κυρίου, ἀναβλέψας εἰς τὸν ἕραν ἰλαρῶς, id est,
 magna cum confidentiâ coram Domino comparebis, & audebis læ-
 tos in cælum oculos sustollere. Psal. 12, 6. παρρησία σου ἐν αὐτῇ,
 Luth. Daß man getrost lehren sol. Illustris locus est Sap. 5, 1. ubi
 timiditas ac terror impiorum in extremo iudicio, & confidentia
 ac exultatio justorum conferuntur, ac opponuntur invicem, &
 hæc ita describitur: Τότε ζησεται ἐν παρρησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος. Vul-
 gat. In magnâ constantiâ. Luth. mit grosser Freudigkeit.

XXXIII. Nominatur etiam 5. πεποίθις Fides, id est, fir-
 ma persuasio, Eph. 3, 12. Phil. 3, 4. Attendatur vocis significatio
 ex 2. Reg. 18, 19. ubi LXX. τίς ἡ πεποίθις αὐτῆ, ἐν ἡ πέποιθας?
 Quenam est hæc fiducia, quâ tu fidis? Luth. Was ist das für
 ein Trost/darauff du dich verlässest? In Ebraeo extat R. נִבְטָח,
 qua omnium Lexicographorum consensu, fidere, firmiter innici,
 securum esse notat: Et semper opponitur timori & dubitationi.
 Consulatur Lexicon Forsteri & Pagnini. Et contextus ac histo-
 ria ostendit verba hæc esse Rabsacis ad Ezechiam Regem, expro-
 brantis ei summam & extremam audaciam, quod auxilio Jehovæ
 sui fisis, tanto exercitui, cui nec robore nec numero par erat, oppo-
 nere se auderet.

XXXIV. Reliqua Fidei Epitheta conjungemus, ut cum di-
 citur 6. περιουγῶν ἐν ἡ ἐρήκει μὲν καὶ κενώμεθα, Rom. 5, 2. 7.
 ἴδου, Joh. 6. ult. Matth. 9, 22. 8. κατάληψις vel apprehen-
 sio. Phil. 3, 12. 9. λήψις Xριστοῦ, receptio Christi, Joh. 1, 12.

XXXV. Ex his jam fidei proprietatibus & nomini-
 bus, pro Certitudine gratiæ tale exsurgit argumentum. Illi qui
 tali fide prædici sunt, quæ est fiducia, firma persuasio, πᾶσι θεοφ-
 εῖα, ἐλεγχ, ἰσχύς, &c. illi tali fide de remissione peccato-
 rum, & gratiâ Dei certi esse possunt. Atqui veri fideles tali fide
 prædici sunt. E. Major suâ luce radiat. Nec Minor operosâ pro-
 batione indiget, quæ & ex nomine fidelium & Scripturâ passim
 clarescit.

XXXVI. *Alter* Dictorum Classis comprehendit ea Scripturæ loca, quæ fidei scientiam & certam notitiam adsignant. *Johan.* 14, 17. Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, & in vobis erit. 1. *Cor.* 2, 12. Nos non mundi spiritum accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. 2. *Cor.* 5, 1. Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, &c. 1. *Job.* 3, 14. Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Et c.* 4, 13. In hoc cognoscimus, quoniam in ipso manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis, & c. 5, 13. Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomen Filii Dei. *v.* 19. Scimus, quoniam ex Deo sumus. *Rom.* 8, 28. Scimus, quod diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur. *Argumentamur*: Quodcumq; probè quis scit, & cognoscit, de eo non potest non esse certissimus. Sed fideles justificationem suam & adoptionem in filios Dei probè sciunt, & cognoscunt. E. de eâ non possunt non esse certissimi. Major manifestissima est. Scientia enim & cognitio rerum certarum, non dubiarum est; & ab opinione hoc ipso differt. Minor ex dictis patet.

XXXVII. Tertia classis complectitur dicta certitudinem fidei laudantia ac inculcantia; dubitationem verò ac infirmitatem reprehendentia. *Christus ad Paralyticum* *Matth.* 9, 2. *ἰσθὲς τέκνον*, Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua. *Ad Hemorrhoidiam* cap. eod. v. 22. *ἰσθὲς θυγατήρ*, Confide filia, fides tua te servavit. Hæc autem Fides cujusmodi fuerit, exprimit idem *Matthæus*; Dicebat enim apud se: si solum tetigero vestimenta ejus, servabor. *In scholâ Papiſtarum edocta dixisset: si tetigero vestimenta ejus, fortè servabor,*

bor, aut spero in servatum iri, & illa prorsus Catholici, & uo-
biscum servabor. Jam quoque Principem Synagoga, ad nun-
tium servorum de obitu filiae animum despondere incipientem eri-
git Salvator, & ad confidentiam hortatur, Luc. 8, 20. Ne time,
saltem crede, & salvabitur. Hac quoque fidei certitudo & firmi-
tas commendatur. Ebr. 13, 9. Καθὼς καὶ ἐπὶ Βεσαῦτος τὴν καρδίαν.
Et 1. Petr. 1, 13. Subemur τὸ τέλος perfectè sperare in eam qua of-
fertur nobis gratiam in revelatione Jesu Christi.

XXXVIII. Contra hæsitatio & infirmitas Fidei acriter &
discreis verbis à Christo reprehensa est. In discipulis, Matth. 6,
30. Si foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum
mittitur, Deus sic vestit, nonne magis vos, ὀλιγόπιστοι, mi-
nimæ fidei Luc. 12. ubi eadem Christi concio annotata est, ve-
rantur μετὰ εὐχέου, v. 29. id est, animo vagari, ut solent
meteora in aëre, quæ nullam habent constantiam, & le-
vi aurâ huc illuc impelluntur. Theophylact. in hunc locum:
μετὰ εὐχέου λέγει τὸν περὶ πᾶσιν ἢ τὴν τὸ λόγος ἄσθεν περὶ φο-
εῖν ἄλλο καὶ ἄλλο ἐν θυμῷ εὐχέου. Et rursus Matth. 8, 25. Et accel-
serunt ad eum discipuli, & suscitaverunt eum, dicentes:
Domine salva nos, perimus. Et dicit ad eos Jesus: Quid
timidi estis ὀλιγόπιστοι. cap. 16, 7. Cogitabant (Apostoli) inter
se, dicentes, quia panes non accepimus. Sciens autem Je-
sus, dixit eis: Τί ἀλαλοῦτε ἐν ἐαυτοῖς ὀλιγόπιστοι In Petro
specialiter Matth. 14, 31. cum ad se in mare ἐναυὶ vocatus turbi-
nem venientem timeret, ac mergi inciperet: Exiguâ fide præ-
dite, inquit, eis τί ἐδίστατες? Significanter utitur verbo διστάζειν,
quo significatur animus huc illuc impulsus, & in varias
sententias quasi divisus; qualis esse solet dubitantis, qui v. 26
est ἀνὴρ διψυχός, ἀκατάστατος ἐν πίστει ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ. ut eum
Jacob. vocat c. 1, 8.

XXXIX. Firmum hinc sententiæ nostræ præsidium, Si enim
C
tam

tam serio à Christo fidei certitudo & confidentia præcipitur, dubitatio prohibetur & carpitur, omnibus fidelibus illam in exemplum, quod imitentur, hanc quod fugiant, proponi: *vident, qui non sunt cæci; aut, quod in prore hie est, cucurbitas lippunt.*

XL. Quamvis enim dicta posteriora dubitationem increpantia, fidem generalem; qua pro objecto omnipotentiam Dei habet, propriè respicere non negemus; tamen ab hac ad fidem iustificantem validissimè concludere licet. Quod si namq̃m rebus corporalibus, & hanc vitam concernentibus, nec absolute promissis; de omnipotentia & propensa Dei voluntate, nequicquam dubitandum: quanto minus in spiritualibus bonis, remissione peccatorum, gratia & vitâ æternâ, fidelibus certò promissis, de Dei misericordia & benevolentia ambigendum fuerit. Addatur his, quod Paulus Rom. 14, 23, pro Synonymis habet: quicquid non est ex fide, & quicquid fit dubitante conscientia; & affirmat dubitationem non tantum per se vitium esse, sed etiam alia vitia corrumpere; ut peccati rationem induant.

XLI. Quarta classis exhibet dicta clarissima, Spiritus S. internum testimonium & obsignationem exponentia. Deus non tantum externo verbo gratiam credentibus in Christo promissam offert, & restatâ abundè facit; sed insuper ut firmior sit promissio, eandem in illorum cordibus, Spiritus sui testimonio & signaculo statuminat, applicat, ac confirmat; juxta hæc dicta Rom. 8, 15, 16. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filii Dei; si autem Filii utique & hæredes. Gal. 4, 6. Misit Deus Spiritum Filii sui, in corda vestra clamantem Abba pater. 1. Corinth. 2, 12. Nos accepimus Spiritum qui ex Deo est,
ut

ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. 2. Cor. 1. 21. 22.
ὁ θεὸς ἑσθῶν, qui confirmat nos vobiscum in Christum, &
qui unxit nos Deus. ὁ ἕσθε φερανοί μετ' ἡμῶν, qui & obli-
gnavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus
nostris. *Conjungantur Eph. 1. 3. 14. c. 4. 30.*

XLII. Stripatum hic argumentorum agmen vide, contra Pa-
pisticam dubitationem ab Apostolo eductum. 1. Credentibus datur
Spiritus ἰσοστάτος, non servitutis; profligat ergo & pellit o-
mnem timorem servilem, omnia incertitudinis ac dubitationis
spectra.

XLIII. 2. Per illum donatum sibi spiritum clamant fide-
les Abba pater: qui clamor certè non nascitur in dubio vel pa-
vido, sed fiduciâ & spe pleno pectore. καλεῖν enim & clamare,
non est timidè ac meticulosè quædam verba mussitare, instar tre-
pidantium ac dira sibi metuentium, meruq; vocem præpediente sæ-
pissimè obmutescantium; sed clarâ ac liberâ voce gaudium testari,
Dei paternum affectum agnoscere, & filiali fiducia, ac certâ ex-
auditionis spe, suas ad Deum preces & vota effundere.

XLIV. Plura audi. Spiritus ille 3. σὺ μὲν ἑτοίμη, testimo-
nium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei; non er-
go conjecturali quâdam, sed certâ cognitione, & ipsius Spiritus S.
fallere nescii, testimonio hoc sciunt credentes. Accedit huc testi-
moniorum proprietates & ratio; quorum nulla simpliciter ad
veritatem, quam vocamus, objecti, sed certitudinem pro-
priè subjecti ingenerandem faciunt. Scilicet quicumq; testimonium
dicit, etsi necessario attendat rei, cui testimonium perhibet, veri-
tatem, tamen hunc scopum sibi ultimum figit, ut illam verita-
tem persuadeat ei, apud quem hoc testimonium dicit. Unde
etiam majus minusve testimonium dici solet, non à certitudine
objecti, cujus veritati in se nihil accedere vel decedere potest ullo
testimonio, sed propter majus minusve momentum, ad persuaden-
dum

dum id, quod se semper habet eodem modo. Hinc jam quid de testi-
monio Spiritus S. sentiendum sit, patet: nimirum, non tantum de
veritate doctrinæ cœlestis ac benevole voluntatis Dei in cordibus
fidelium Spiritus S. testatur, sed sic testatur, ut testimonio verè
divino conscientiam à peccatis liberet reddat.

XLV. Illustrant hanc Certitudinem quam in cordibus cre-
dentium Spiritus S. gignit 4. similitudines σφραγίδος & δεπαι-
σώνος, solidæ consolationis plenissimæ. Σφραγίδος ad roboran-
dam testimonii auctoritatem, & iis rebus, quas certissi-
mas & extra dubitationem omnem positasse volumus,
adhiberi solent. Vid. inf. th. 65. Et est hic quædam varietas.
Alia enim sigilla simpliciter ad rei pertinent certitudinem,
quomodo Reges diplomatibus suis sigilla appendunt, & in priva-
tis contractibus contractuum tabulas sigillo nostro munimus. Alia
spectant personæ certitudinem, quæ & ipsa obsignari dicitur,
id est, signo aliquo particulari insigniri, ut sciat se in censum illo-
rum receptum, ad quos jus vel privilegium aliquod speciale perti-
neat. Sic Rex equitum suorum cervicibus auream torquem cir-
cumjicit, & gestare concedit, ut certi sint, non tantum esse ali-
quot equites, quibus aliquid sit privilegii, sed multò magis, ut sin-
guli nominatim se hujusmodi equites norint, & proinde eorundem
privilegiorum participes. Ad posterius signaculi genus referri de-
bere hoc Spiritus S. verba ipsa indicant, cum nos obsignari
Paulus scribit. Obsignantur ergò Spiritu S. fideles ac credentes,
velut singulari filiorum Dei tesserâ, non tantum ad generalem
persuasionem, sed ut singuli statuant, sibi quoque indubitate factas
& collatas promissiones divinas; ac ne dubitent, se ex eorum quoque
esse numero, quibus Deus benè cupiat, & si à fide, in quâ stant, non
defecerint, æternâ gloriâ beaturus sit.

XLVI. Elegans etiam vocis alterius Arrhabonis empha-
sis est, quod Spiritui S. hic tribuitur, & ad pulcherrimam hanc
de

de Certitudine Fidei doctrinam non leve robur confert. Est autem origine Ebraica: עֵרְבֹון (à rad. עֵרַב, qua formaliter miscere significat; deinde ad varia transfertur, & spondere ac fidejubere significat, cum quis se suam, alterius negotiis immiscet) & legitur. Gen. 38, 17. Dixit: Mittam tibi hoc dum; illa dixit: patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Sic vox עֵרְבֹון pro sponfione occurrit, Prov. 17, 18. 1. Sam. 17, 18. Et obsides כְּנִי הָעֵרְבֹון filii sponfionum vocantur. 2. Reg. 14, 14. Ex quibus locis genuina vocis hujus significatio hæc esse colligitur, quod notet pignus seu symbolum, quo promissio seu fidejussio firmatur, & quod quasi rem secururam repræsentat, cujus loco datur. Sic Latinis arrha sumitur pro parte aliquâ persoluti pretii, quâ promittitur persolvenda summa reliqua. Egregiè hæc jam Spiritui sancto competunt, & consolationem insignem applicata subministrant. Salvi sumus, sed spe, Rom. 8, 24. interim variis tentationibus fides & spes nostra obnoxia, flagellatur & impellitur: ne itaq; de bonâ Dei erga nos voluntate, remissione peccatorum, adoptione & vitâ eternâ dubitatio, animum ægrum lancinaret, obsidem, pignus & arrhabonem Spiritus sancti in corda nostra Deus optimus misit, ut contra dubitationem omnem muniti, salutis consequendæ spem certam conciperemus.

XLVII. Argumenta quæ pro certitudine salutis in hac Dictorum Classe suppeditata fuere plurima, hoc generali Syllogismo includi possunt: Quicumq; Spiritum S. habent, certi fiunt de justificatione & spe salutis suæ. Omnes autem fideles habent Spiritum S. Ergo. Minorem firmant quicumque loci fidelibus dari Spiritum sanctum pronunciant. Pro Majori militant loci in hac classe thesibus superioribus adducti, efficaciam Sp. sancti, testimonium, pignus & arrhabonem describentes.

XLVIII. In Quintam & ultimam Dictorum Classem loca-

locamus ea, quæ Fidei nostræ probationem & examen à nobis requirunt. *Ut 2. Corinth. 13, 5.* Vosmetipsos probate, num in fide firmi sitis, vos ipsos tentate: Annon agnoscitis vos ipsos, quod Christus in vobis est; nisi reprobi estis, At spero fore, ut cognoscatis, nos non esse reprobos. *1. Corinth. 11, 28.* Probet homo semetipsum.

XLIX. Colligimus hinc ita: Quicumque seipsum probare & explorare debent, num in fide sint, an verò reprobi, in illis præcedere oportet certam fidei & justificationis cognitionem. Fideles in his locis jubentur seipsum probare, num in fide sint, &c. E. Majoris connexio patet ex naturâ probationis propriè dictæ. Illa enim semper discernit verum à falso, id autem non potest, sine certâ & præviâ veri illius cognitione. *Quamdiu nondum mihi certò persuasum est, hoc genuinum aurum esse, quod præ manibus est, nec ab adulterino, vel etiam orichalco aut cupro discernere illud & probare possum.* Probatio ergo præsupponit rei probandæ certitudinem. *Ulterius contra Pyrrhonios & Scepticos illos in Papatu, omnia in dubium revocantes, cum Apostolo fortissimum hoc telum torquere possumus; in quo, si retundere possint, vires suas experiri eos jubemus.* Quicumque non agnoscunt se in fide, & Christum per eam in sese esse; imò docent, agnosci non posse, num quis in fide & Christo sit, reprobi sunt. At Pontificii non agnoscunt se in fide, & Christum per eam in sese esse; imò docent, &c. E. *Major Apostoli est, Minor Pontificiorum dogma. Et vicissim: Qui non agnoscunt se in fide esse, reprobi sunt. At fideles reprobi non sunt.* *Conclusio facilis.*

*L. Hætonus Scripturæ Dictis Sententia nostra statumina-
nata est; nunc II. Exempla Virorum aliquot sanctissimorum
videamus, quos eadem nobis in scenam producit, ut in his fidei cer-*

ti-

circumferentiam singulis commendat, & à dubitatione terribimè avocet.

LI. Primum est Abrahami, Patris credentium, cujus fides, Rom. 4. ita graphice depingitur, ut certissimam in promissionibus divinis confidentiam fuisse clarissimè appareat. Dicitur enim, quod contra spem in spem crediderit, ut fieret pater multarum gentium, v. 18. quod non infirmatus sit in fide, cum consideraret corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & vulvam emortuam Saræ, v. 19. & quod in re promissionibus Dei non hæsitaverit diffidentia, sed confortatus sit fide, dans gloriam Deo, v. 20. quod firmiter crediderit, quod quæcunque promissit Deus, potens esset & facere, v. 21. Hæc non verba, sed fulmina sunt, ut addit magnus noster Chemnitius, contra Tridentinum Concilium, quod dicit, nemini, qui in fiducia remissionis peccatorum, juxta promissionem, acquiescit, peccata remittit.

LII. Alterum est Davidis. Quis nescit, quantà ille confidentia Dei gratiam, favorem & auxilium in omnibus ferè Psalmis sibi polliceatur? quàm firmiter promissionibus divinis adherescat, & in iis se soletur? Psalm. 23, 4. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psalm. 27, 1. Domine salus mea, quem timebo? à quo trepidabo? Psalm. 31, 1. In te Domine speravi, non confundar in æternum. Hæcine verba Papista dices trepidantis aut dubitantis? si voles, Solem eadem operà in meridie lucere nega.

LIII. Tertium Jobi, qui jam olim, nondum plenè exortor veritatis Christianæ & Evangelii jubare, suam non tantum de gratia Dei, sed gloriosà etiam resurrectione haustam spem ac fiduciam firmissimam verbis perspicuis testatur, c. 19, 25. Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrà resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle istà, & in carne meà videbo Deum, &c. Consideratione dignus sermo.

Uiii

Utritur i. verbo **U** quod significat, plenè, certò ac indubitato sciri.
2. Vide sis hæc loca, Gen. 17, 13. 1. Sam. 24, 11. Psal. 139, 2. Psalm.
143, 3. 2. Resurrectionem non tantum in genere, omnium homi-
num, sed suæ ipsius carnis resurrectionem, & in resurrectione
redemptionem credit; nec mundi in genere, sed suum se Redem-
ptorem scire facetur, ac se visurum eum hisce oculis suis
sperat. Non ergò nudè credit, sed applicat, perinde ut Paulus Ga-
lar. 2, 20 Hoc quod jam vivo in carne, per fidem filii Dei
vivo, qui dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.

LIV. Quartum & illustre planè ad sententiam nostram
exemplum est Apostoli Pauli. Sic ille Roman. 8, à v. 31, ad fin.
Si Deus pro nobis quis contra nos? qui etiam proprio
Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradi-
dit eum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis
donabit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus
justificat; Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui
mortuus est, imò qui & resurrexit; qui est ad dextram
Dei, qui etiam interpellat pro nobis, Quis igitur nos se-
parabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an
fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scri-
ptum est; Quia propter te mortificamur totà die, æsti-
mati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus su-
peramus, per eum qui dilexit nos. Certus sum enim,
quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque prin-
cipatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura,
neque fortitudo, neque profundum, neque creatura,
alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Chri-
sto Jesu. Quid potuit ad summam confidentiam ab Apostolo dici
apertius, accommodatius vel magnificentius? Pensitentur &
verba & res.

LIV. Verba selectissima sunt, nec infra rei majestatem. Noten-
tur

eur

*tur hic 1. Crebra & cumulata interrogationes: Quis conde-
 mnabit? quis separabit? quis contra nos? quæ sunt animi
 presentis, & extra omne periculum securi. Solet earum negatio-
 rum maximè usus esse in rebus quas summoperè asseverare
 volumus, ex indole sermonis Ebraei, quod nescire non possunt,
 nisi qui hunc juxta cum ignarissimis ignorant. 2. Verbum $\pi\epsilon\tau\sigma\mu\epsilon\gamma$
 Apostolus adhibet v. 38. quod ut demus Bellarmino promi-
 scuum esse, & probabilem interdum persuasionem signi-
 ficare, præsertim ubi de re & salute agitur alienâ. Ut Rom. 15. 14
 2. Tim. 1. 5. Ebr. 6. 9. nunquam tamen excludit certissimam.
 Sic pro infallibili fidei certitudine usurpatur, Rom. 14. 14.
 ubi jungitur cum $\omicron\iota\delta\alpha$, 2. Timoth. 1. 12. similiter. Et hæc signifi-
 cationem huic loco convenire, contextus docet; præcesserat enim
 talis oratio, in quâ nulla dubitationis vestigia deprehendi pote-
 rant, & illi $\nu\alpha\sigma\tau\epsilon\mu\epsilon\gamma$ subjungitur. 3. Longo catalogo remo-
 vet omnia, quæ speciem ullam habere possunt causa-
 rum adversantium, in quibus per $\nu\alpha\sigma\tau\epsilon\mu\epsilon\gamma$ etiam numerat,
 quæ per se in hunc censum non veniunt. Cujusmodi sunt angeli, si-
 ne dubio hæc nominari è $\nu\alpha\sigma\tau\epsilon\mu\epsilon\gamma$, si ipsi angeli nos à charitate
 Christi avellere vellent. Conf. Galat. 1. 8. Hos autem non tantum
 negat nos diremturos ab eâ; sed ne posse quidem dirimere.
 Multa enim futura negari solent, etsi concedantur esse aliquan-
 do posse. Sed hæc utrumque Apostolus negavit. Extremus igitur
 securitatis & confidentiæ gradus exprimitur, ad quem nihil vi-
 detur fecisse reliqui. Ideo & subjicit 4. in his omnibus $\nu\alpha\sigma\tau\epsilon\mu\epsilon\gamma$
 $\epsilon\delta\mu$; ut Beza vertit, plusquam victores sumus; Vulgatus
 vertens superamus, vim vocis non exhausit. 5. Vocula hæc mi-
 hi, nos, indicant Paulo sermonem esse non de suâ tantum perso-
 nâ, sed re communi, ad plures, fideles nimirum omnes, pertinente.
 Itaque cum dixerat in singulari $\pi\epsilon\tau\sigma\mu\epsilon\gamma$, in plurali $\nu\mu\epsilon\iota\varsigma\ \chi\omega\epsilon\lambda\omicron\tau\epsilon\gamma$
 dicit, ut certitudinem illam gratiæ, quam intra semet sentiebat,*

D

omni-

omnibus fidelibus, in quorum se quoque numero certò censebat & transcriberet. Communicationis talis exempla habes hoc c. v. 18. 1. Cor. 15, 51.

LVI. Res verbis magnificis nihil cedunt. Fundamenta, unde Paulus hanc suam & fidelium certitudinem deducit, solidissima sunt. 1. Protectio divina adversus mundi furores. Deus pro nobis. 2. Dilectio summa, in missione Filii proprii, & traditione pro nobis in mortem abundè testatur, v. 32. 3. Justificatio gratuita, opposita conscientiae & legis accusationibus, v. 33. 4. Christi meritum, resurrectio, ad dextram collocatio, pro nobis intercessio, v. 34. 5. Charitatis Christi constantia in mediis periculis & afflictionibus. His fundamentis firmissimis spes salutis nostrae imposita nec vacillare nec decollare unquam potest.

LVII. Huc refer ejusdem Pauli spem confidentissimam manentis se in caelis salutis certissimae, quae illum sic animavit, ut tot tantisque malis, quae perferenda fuere, non fractus, non dejectus, constantis viri animum vultumque semper retineret. Ita enim 2. Timoth. 1, 12. Propter quam causam & haec patior, neque erubescō; novi enim (πίδα) cui credidi: & mihi persuasum est (πίπι) quod potens sit, depositum meum servare in illum diem; aliquando nimirum certè redditurus.

LIX. Copulamus hanc exemplorum quadrigam argumento tali: Quodcunque viri sancti plurimi ex ἀληθῶς ποεία fidei sibi polliceri potuerunt, & in quo nobis in exemplum proponuntur: illud etiam fidelis quilibet, eadem fidei ἀληθῶς ποεία, sibi polliceri potest. Atqui certam peccatorum remissionem, ac gratiam divinam viri sancti plurimi sibi polliceri potuerunt, & in hoc nobis in exemplum proponuntur. Ergo & fidelis quilibet, &c. Ad Majorem ut nihil addam, Veritas ipsa pro eâ testimonium dicit, Una

Una nempe omnium fides est, *Ephes. 4. 4.* quæ & illi salvati sunt, & nos quoque salvarum iri speramus, & quam illa in illis vim & ἐπίπρασ exercuit, eandem etiamnum in fidelibus exserit. Nec vestigium in sacris reperire licet peculiaris revelationis sanctis illis factæ, quod ad fidei illorum certitudinem spectat. Minorem allata exempla demonstrarunt. Fuisse autem illa nobis ad imitandum proposita, docent dicta illa generalia, *Rom. 15. 14.* *1. Corinth. 10. 11.* omnia videlicet quæ scripta sunt, ad nostram *ὡς ἰδοὺ* & *διδασκαλίας* scripta esse. De Abrahamo plana res, cum ut patrem credentium omnibus fidelibus fidei suæ exemplo præluere, de quo *Rom. 4. 23.* disertè scribit Apostolus, quod non tantum scriptum sit propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus. *D. Paulus* etiam eam, in quâ sic gloriatur, fidem, cum Christianis omnibus communem se habere fatetur, *2. Cor. 4. 13.* & se exemplar & *ὑποτύπωσις* omnibus credituris præstitutum, *1. Timoth. 1. 16.* asserit. Idem de Jobo & Davide ex Scripturæ sine iudicium faciendum.

LIX. Hucusque Scriptura à nostræ sententiæ veritate stetit, eamq; dictis manifestissimis & Exemplis clarissimis assertam dedit. Non desunt Rationes ex eadem petitæ, idem quoque probandi officium nobis præstituræ. Videamus.

LX. Primam suppeditare potest Promissionum divinarum Veritas. Evincitur illa 1. ab earum fine. Quorsum enim illæ fidelibus factæ sunt, nisi ut de gratiâ & charitate Dei illis quam certissimis esse liceret. Id Paulus indicat *Rom. 4. 16.* inquiens, Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio. Cui verò? *Omni semini.* 2. Proprietate, Non sunt divinæ promissiones ambiguae, ut Delphica illa olim Oracula, sed apertæ, veracis Dei ore prolatae, qui ab omni mendacio naturâ alienissimus, fallere nescit, *Rom. 3. 4. 2.* *Tim. 2. 13.* 3. Convenientia

cum verbo scripto. *Ut hoc in æternum manet, Luc. 21, 33. ita & promissiones.* 4. Evangelicarum & Legalium promissionum discrimine. *De his ob connexam conditionem perfectæ obedientiæ, nostræ verò corruptæ naturæ imbecillitatem, dubia semper conscientia relinquitur. In his utpote gratuitis, nec nostris operibus promerendis, acquiescit, & in certam gratiæ divinæ spem erigitur.* 5. Similibus. comparantur promissiones Dei petræ, *Matth. 7, 25. terræ firmæ, cui anchora tutò infixi potest, Ebr. 6, 19. pacto infallibili, Jer. 31, 33. desponsationi certissimæ, Os. 2, 19. Plura in hanc rem argumenta invenies apud D. Gerh. Tom. 3. de justif. § 38. à quo hæc habemus.*

LXI. Nos pro nostrâ sententiâ tale inde argumentum nectimus: Quicumq; jubentur promissionibus divinis fidem adhibere, jubentur de bonis in illis promissis certi esse. Atqui pii & fideles jubentur promissionibus divinis fidem adhibere. E. Minor singulis ferme Scripturæ paginis firmatur. Major liquet. Cum Deus veracissimus à parte suâ nunquam non promissa semel servare & possit & velit, cum promissio gratuita & spontanea sit, nullâq; necessitate extorta, nec opera nostra ei promovendæ vel implendæ quicquam faciant; fides etiam, quâ promissa bona manu veluti apprehenduntur, sua cuique ex effectis & indiciis ignota esse non possit.

LXII. Alteram nobis rationem suggerit Juramenti divini firmitas. *Ezech. 33, 18. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Et Joh. 8, 5. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Cur autem Juramento hujusmodi sanctissimo promissiones suas, absq; hoc etiam verissimas, insuper munire voluerit sapientissimus Deus, indicat apertissime *Epist. ad Ebr. cap. 6, v. 16, 17, 18. Homines per majorem jurant, & omnis controversiæ eorum finis est jura-*

juramentum. In quo Deus abundantius volens ostendere hæredibus promissionis firmitatem & immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, in quibus fieri non posset ut mentiretur Deus, validam consolationem haberemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. *Hinc August. l. 16. de Civ. Dei c. 32. Quid est, inquit, Dei veri vivacisq; juratio, nisi promissionis confirmatio, & infidelium quædam increpatio. Cum igitur benevolum suum affectum tam prolixè fidelibus suis, Deus declaravit, addito etiam sanctissimo juramento, extremè sanè impius sit, blasphemus, Deumq; mendacii arguere non horrens, qui de hoc vel dubitare leviter præsumeret. Qui enim non credit Deo, mendacem eum reddit, quia non credit testimonio, quod testificatus est in Filio, attestante B. Joan. 1, c. 5. 10.*

LXIII. Tertiam dat Rationem, precum nostrarum, promissa certa exauditio, *Matth. 18, 19. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Matth. 21, 22. Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes, accipietis. Marc. 11, 24. Joh. 16, 23. Conjungelocum Jac. 1, 5, 6, 7. Si quis nostrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluentèr, & non impropèrat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, *μὴ δὲ ἄνευ φόβου* nihil hæsitans (*proprie alternantibus sententiis secum quasi litigans & disceptans*). Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quòd accipiet aliquid à Deo. *Hi colligari inter se loci tale pariunt argumentum: Quarumcunq; rerum exauditio & impetratio petentibus certò promissa, de illis dubitare nequicquam debent. Atqui præcipuè bono-**

rorum spiritualium (inter quæ peccatorum remissio potissimum) exauditio & impetratio petentibus certò promissa est. E. *Premissarum utraque locis adductis continetur.*

LXIV. *Hanc excipit Quarta ratio, adversus Pontificios validissima: Privata specialisque Absolutio, quæ fidelem quemlibet de peccatorum suorum remissione persuasissimum reddit. Sic enim de eâ Christus pronunciat Matth. 18, 18. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terrâ, erunt ligata in cælo; & quæcunque solveritis in terrâ, erunt soluta in cælo: & Job. 20, 23. Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis; quorumcunque retinueritis, retenta sunt. At verò Evangelica hæc Absolutio occupatur non circa ideam fidei generalem, sed hujus & illius peccatoris fidem in individuo, sibi peccata remitti credentis. Unde rectè inferimus: Cum ministri vox Christi ipsius vox sit, & ipse hic absolutionem peccatorum singulis individuis pœnitentibus, ore ministri, nomine suo annunciatam in cælo ratam habiturum, & spondere & jurârit, quemlibet peccatorem pœnitentem absolutionem à ministro accipientem, non minus de remissione peccatorum suorum & gratiâ Dei certum esse posse ac debere, quàm si cum Paralytico illo Matth. 9, 2. ex Christo adstante ipsissima hæc verba audiret: *Ἰάσοῦ, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Inde Gerson quoque disputat: Absolutionem non in optativo, sed indicativo modo pronunciamdam esse, exemplo Christi, cujus verba modo recitavimus.*

LXV. *Quintam Rationem occupat Sacramentorum in Ecclesiâ vis ac proprietas. Sunt ea hac fini instituta, ut essent Sigilla gratiæ divinæ infallibilia, remissionemq; peccatorum generaliter promissam, singulis applicarent. Unde Sacramentum Circumcisionis & *Πεῖσις*, & Signaculum Justitiæ, Roman. 4, 11. appellatur, ex quo uno reliquorum omnium natura cense-*
feri

feri potest. Sigilla autem adhiberi solent rebus iis, de quibus nullam dubitandi aut diffidendi ansam relinquere volumus iis, ad quos pertinent. Sic *Esth.* 3, 12. Haman literas Judaeorum interuiccionem mandantes, & praefectis transmissas, regis annulo obsignat, ne scilicet de earum fide dubitaretur. Ita *Jezebel* i. *Reg.* 21, 8. literas, quas ad seniores de Nabotho lapidandos; nomine Regis mariti dederat, annulo ejusdem munit, quo minus fraus & fallacia perluceret, & ipsa persuaderet securius. *Daniel.* 6, 18. Rex os foveae, in quam projectus Daniel, obsignat suo & procerum annulo, ne mutaretur voluntas de Daniele. *Matth.* 27, 66. Judaei sepulchrum Christi, indulgente Pilato, obsignant, ne, quod metuebant, discipuli corpus auferre, & magistrum deinde suum resurrexisse, dicere possent. Proinde nobis haec sigilla verbo apposita habentibus, nefas & piaculum sit, de Dei benevolentia & gratia, tot signis abunde declarata, vel sequius suspicari.

LXVI. Quid sunt Baptismus & Coena Domini, quae ex institutione Christi seruat Novi Foederis Ecclesia, quam particulares gratiae & beneficiorum diuinorum obsignationes & applicationes? Non enim universalis aliqua hominis idea aut species, sed hic, ille homo; hoc, illud individuum baptizatur, sacra Coena utitur; Huic ergo & illi homini in individuo gratia & meritum Christi conferuntur & applicantur. Hinc est quod Baptismus vocatur *ἰντομιση* bonae conscientiae eius *Ἰερ.* 1. *Pet.* 3, 21. cujus vocis vis non insuper habenda, ut qua stipulatio, seu mutua interrogatio & responsio innuitur, in foederibus usitata, in quibus una pars interrogat, respondet altera. Tale Foedus etiam Baptismus est, ubi a baptizato de suo amore & affectu Deus quasi rogatur, & benignissimam responsione eum testatur ac pollicetur. Hinc in Christum baptizati, induere Christum dicuntur. *Gal.* 3, 27. quae major certitudo esse potest, quam vestimenti, & signi quod quotidie tecum circumfero & gesto? In sacra

crâ Domini coenâ ipsum Christi corpus in mortem pro nobis traditum, ipsum sanguinem pro nobis in cruce effusum; nobilissima fidei nostræ pignora ore accipimus, manducamus & bibimus; & si verâ fide accedimus, hunc fructum referimus, ut quàm arctissime Salvatori nostro jungamur, & per hanc unionem in certissimam participationem omnium beneficiorum morte ejus acquisite admittamur: quæ sunt Christi ipsius verba, Joh. 6, 23. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego suscitabo illum in extremo die.

LXVII. Claudant hoc Rationum agmen Sexto, Præcisæ omnes dubitandi causæ. Quid enim illud tandem est, quod fiduciam gratiæ & misericordie divinæ turbare vel labefactare possit, & non in Scriptura solide sublatum sit? Indignitas tibi tua succurrit? & inutilem te servum fateri cogeris, etiam cum omnia feceris? Non meritis nostris, non operibus fides nostra innititur. In memoriam redis peccatorum tuorum? Christus ab illis omnibus te purgavit. 1. Johan. 1, 7. & profundo maris illa obruit, Michæ. 7, 19. Querere quod te gratiæ divinæ præparare dignè non valeas? Quiesce; mediis saluti tuæ à Deo destinatis utere, modò ne obicem Spiritui S. pone, & ille in te efficiet τὸ Ἰεθευ ἔ τὸ ἐνεργεῖν, Phil. 2, 13. Odii divini suspicio quadam te angit? amove hanc animo curam; Deus salutis hominum cupidissimus, 2. Petri 3, 9. 1. Tim. 2, 4. tibi³ per Christum placatissimus redditus est. Nescis an Christi mors & beneficia hac parata, te etiam tangant? an tu etiam ad divinæ gratiæ epulum vocatus? Scriptura consulta, hunc facile merum eximet, quæ Christum ἰδασμὸν esse non pro nostris vel fidelium saltè, sed pro totius etiam mundi peccatis, 1. Johan. 2, 2. venisse salvare omne quod perierat, Matth. 18, 11. vocare & jubere ad se accedere omnes qui onerati & afflicti sunt, ac refrigerium expectare, Matth. 11, 28. docet.

Ad-

Adversa pateris? & mala multa quasi agmine facto te incurfi-
 tant? cave irati Dei signa hæc interpreteris. Castigatio Patris,
 non iudicis vindicta est. Sic suos castigat & corripit Deus matu-
 re, ne mundi pessimi pessimo exirio involvantur. Hæc & similia
 crebrò cogitare iuvat; & si quam dubitationem gratiæ nobis obo-
 riri videbimus, antidoto S. Scripturæ præsentissimo confestim ei ob-
 viam eamus, & in ipsâ quasi herbâ opprimamus, carnisq; imbecilli-
 tatem robore spiritus superemus: fugiet dubitatio, & fides nebulis
 tentationum his exiens, clarior & illustrior conspicietur.

LXIX. Deventum nunc est III. ad Primævam Eccle-
 siam & Patres. Nec hi sententiam orthodoxam de Gratia & Sa-
 lutis Certitudine testimonio suo destituunt; ad quod perhibendum
 nonnullos hæc citare lubet.

LXIX. Ex Græcis nominamus I. Basilium. Hic in que-
 stionibus breviter explicatis quest. 12. interrogat: Πῶς πλεονεξο-
 ρηθῆν ἢ ψυχῆ, ὅτι ἀφ᾽ ἧκεν ἀυτῆ ὁ θεὸς τὰ ἀμαρτήματα? Quæ ra-
 tione anima certa erit, sibi à Deo remissa peccata? Et
 responder: ὅταν θεωρήσῃ αὐτὸν ἐν τῇ θεωρίᾳ, τὰ εἰπόντῃ ἀδικίᾳ
 ἐπίσημα καὶ ἐβεβηχῆ μὲν. Si contemplabitur seipsum ita
 dispositum, ut ille fuit, qui dixit, Injustitiam odio ha-
 bui, & abominatus sum.

LXX. 2. Chrysofomum. Hic Homil. 14. in Ep. ad Rom.
 in illa Pauli verba: Συμμερτυρεῖ τὰ πνεύματι ὑμῶν, ita scribit:
 ὅταν δὲ τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ: ποῖα λοιπὸν ἀμφιβολία? εἰ μὲν γὰρ ἄν-
 θρωπος, ἢ ἄγγελος, ἢ δευτερεύων, ἢ ἄλλη τις πιαύτη δυνάμις
 τὰ πνεύματι μαρτυρεῖ, καὶ ἀμφιβάλλει ἢ εἰς τὴν ἀνάγκη, τῆς δὲ ἀνωτάτης
 ἐξουσίας ἢ δωρησαμένης τὰ τοιαῦτα, καὶ δι' αὐτὴν ἐκείνην εὐχεσθαι, μαρτυρού-
 σης ἡμῖν, πῶς ἂν ἀμειψήσῃσιν λοιπὸν πρὸς τῆς ἀξίας. εἰ δὲ γὰρ βασι-
 λείως χαρισθῆσιν πῶς ἂν ἀνακηρύξωσιν πῶς πάλιν πᾶσι
 σιν, ἢ ἡμῶν πῶς τῶν ἁγίων ἀντιπῆσιν. Latine sic sonant: Cum
 enim Spiritus testimonium perhibuerit, quæ tandem
 E re-

restat ambiguitas? Enimverò si homo vel angelus, vel archangelus, aliave hujusmodi potestas polliceretur, posset quis dubitare; At cum summa essentia, quæ & ipsa hoc largita est, & illa ipsa per quæ jussit precari, nobis testimonium perhibeat, quis postea dignitatem vocabit in controversiam. Nam neque postquam Rex elegerit quempiam, & dignitatem ejus publico præconio significare jusserit, subditorum quisquam ausit contradicere.

LXXI. Ex Latinis proferimus: 1. Cyprianum Tractatu de Mortalitate. Quis hîc, inquit, anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus enim est mortem timere, qui ad Christum nolit ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis; si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus? & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris. *Idem paulo post:* Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur atque æternitatem, & tu dubitas? Hoc est Deum omninò non nosse; hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est, in Ecclesiã constitutum, fidem in domo fidei non habere.

LXXII. 2. Hilarium Can. 5. in Mat. Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Johannes prædicavit, Dominus in se positum esse, professus est, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari; alioquin, justitia ex fide nulla est, si fides ipsa sit ambigua. *Hæc ille, adeò perspicuè ad sententiã nostram, ac si Solis radio scripta essent.*

LXXIII. 3. Ambrosium, qui dubitationem Papisticam
pla

planè se ignorare sciretur verbis his clarissimis de Jacob & vitâ bea-
zâ l. 1. c. 6. Non gloriabor quia justus sum, sed gloriabor
quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus pec-
cati sum; sed quia mihi remissa sunt peccata. Non glo-
riabor quia profui, neque quia mihi profuit quisquam;
sed quia pro ME advocatus apud Patrem Christus est,
sed quia pro ME Christi sanguis effusus est, propter
ME Christus mortem gustavit.

LXXIV. 4. Augustinum, *cujus verba disertissima hæc ex-
stant in Psal. 88. conc. 1.* Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus:
si parum est, hoc juravit. Quia ergo non secundum ope-
ra nostra, sed secundum illius misericordiam firma est
promissio: nemo debet cum trepidatione prædicare, de
quo non potest dubitare. *Idem de Verbo Dom. serm. 28.* Ex
malo servo factus es bonus filius. Ideò præsume non de
operatione tuâ, sed de Christi gratiâ. Gratiâ enim salva-
ti estis, Apostolus ait. Non ergò hîc arrogantia est, sed
fides; prædicare quod acceperis, non est superbia, sed
devotio.

LXXV. 5. & ultimò Bernhardum huc adducimus. *Cujus
mellitissima ac sententiæ nostræ planè ἐπισηµα verba, si hîc appo-
namus, non abs re facturi sumus. Extant illa in epist. 190.* Nonne
si fluctuat fides, inanis est spes nostra? Stulti ergo mar-
tyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta; nec
dubitantes, sub dubio remunerationis præmio durum,
per exitum diuturnum inire exilium, &c. Ipse postremò
Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii
Dei sumus. Quomodo ergò fidem quis audet dicere æ-
stimationem, nisi qui spiritum istum nondum accepit,
qui ve Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet. Scio
cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus, & tu mihi

subtilitas, Fides est æstimatio? tu mihi ambiguum gar-
ris, quo nihil est certius.

LXXVI. Similia his habet de Evangelio septem panum serm. 3
Tria sunt quæ sic roborant & confirmant cor meum, ut
nulla me penuria meritorum, nulla consideratio pro-
priae utilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis, ab
altitudine spei deicere possit, in eâ firmiter radicatum, &c
Tria considero, in quibus tota spes meâ consistit: Cha-
ritatem adoptionis, Veritatem promissionis, Potesta-
tem redditionis. Murmuret jam quantum volet, insi-
piens cogitatio mea, dicens: quis enim es tu? aut quanta
est ista gloria? quibusve meritis hanc obtinere speras?
Et ego fiducialitèr respondebo: Scio cui credidi, & cer-
tus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia ve-
rax in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est
funiculus triplex, qui difficile rumpitur.

*LXXVII. Mittamus Patres & IV. in ipsa Adversario-
rum castra paulisper lustratum transeamus. Videbimus hîc & mi-
rabimur veri robur, quod tantum est, ut etiam invitos imo per-
duelles ad assensum rapiat. Ecce enim Pontifici ipsi; si non mon-
strorum Dubitationis dogma cum multis apertè improbant, pro-
priis saltem hypotbesibus ad unum omnes everunt ac pessum dant.*

*LXXIIX. Eorum, qui ex Pontificiis dubitationem suo cal-
culo non approbant, imò nobiscum oppugnant, magnus numerus
est, videlicet Colonienfes, Roffensis, Torrensis, Cajeta-
nus, Cassander, Canisius, Cassalius, Catharinus, &c. Suffi-
ciant hîc nobis pauci.*

*LXXIX. Josias Mercerus Theologus Parisiensis ad lo-
cum Eccles. 9. nescit homo, num amore vel odio dignus
sit, &c. hæc notat: Cavendum est, lector, ne cum vulgato
interprete aut erres, vel cum Sophistis errandi occasio-
nem*

nem sumas, qui docent, non debere nos certos esse in
conscientiâ & amore Dei. Hoc est apertè contra Scri-
pturas, & Fidei nostræ caput de remissione peccatorû.

LXXX. Antonius Marinarius *Carmelita orationem de
hoc argumento habuit in Concilio Tridentino Dominicâ IV. in
Quadrages. Ann. 1546. quæ extat in Actis Concilii Tridentini edi-
tis Lovanii Ann. 1567. apud Petrum Zangrium in fol. p. 43. In
hac cum multa egregiè in nostram sententiam dixisset, inter alia
sic loquitur: Qui suis operibus fidunt, de divinâ erga se be-
nignitate dubitare solent, & per intervalla & vices huc
atque illuc alternando fluctuare, ut nusquam eis portus,
nusquam fidæ stationis portus appareat; & facilè ad de-
spirationem in gravibus periculis infelicissimâ ratione
tendunt. Qui autem suis diffisi viribus, suorumque ope-
rum rejectâ fiduciâ in Dei benignitate & clementiâ con-
quiescunt; nec cogitare unquam possunt se à Deo reje-
ctos, illum præstiturum non esse, quod eis suâ misericor-
diâ promisit, &c. Verba illius prolixiora recitat a lege apud Ri-
vetum Summâ Controv. Tract. 4. quest. 16. § 16.*

LXXXI. Cornelius Mussus *Episcopus Bitontinus in c. 5.
Rom. ita de fidei scribit: Habet ergo spem, & gloriatur in
hac spe, quam habet, cum securitate omninò ad illam
gloriam perveniendi. In hac enim gloriatione, & ut ita
dixerim, sanctâ superbiâ, propter spem cœlestis felici-
tatis ostenditur, quod qui justificatus est, non hæsitet,
utrum sit beandus vel non; sed firmissimè tenet, se divi-
no munere salvandum esse.*

LXXXII. *Inprimis Martinus Eysengrein consensum
suum in hoc Articulo testatur & contendit (quâ fronte, nescio)
nunquam à Pontificiâ Ecclesiâ Dubitationis hoc portentum fuisse
defensum; Tractat. peculi. de Certitud. Grat. cap. 6. in quo ex
omni-*

omnibus receptis Theologis, Patribus, Scholasticis, Neotericis ostendere cupit hanc gratiæ certitudinem vel propugnatam semper fuisse, vel non oppugnatam. Verba illius inter alia hæc notanda. Equidem, inquit, hîc me sisto, & clarâ voce pronuncio, nullum Catholicum receptumque doctorem, unquam in eam sententiam, quam adversarii nobis impingunt, de remissione peccatorum & gratiâ, sine ullâ consolatione & tranquillitate Conscientiæ, perpetuò trepidandum diffidendumque docuisse. Hæc incunctantèr indissimulanterque pronuncio; atq; utinam faxit Deus, ut hæc vox mea totum Christianum orbem personaret.

LXXXIII. Quid? quod ipse Bellarminus nostræ sententiæ veritatem inreftatam deserere non potuit! cui Antiquitatis Testimonia clarissima hæc verba expresserunt, l. 3. de justif. cap. 10. Fatemur apud omnes pios vigere spei robur, & fidei firmitatem, & animam de Deo semper esse securam. Et paulò post: Non negamus oportere fidem certissimam, quæ dubitationem prorsus excludat, haberi de divinis promissionibus & spem etiam talem ac tantam, quæ desiderium moriendi pariat. Denique divinæ promissioni etiam in particulari fides habenda est, quoniam pertinet ad veritatem promittentis. Limitat hæc quidem ita, ut hanc spem nihilominus conjunctam esse debere dicat cum timore, propter incertitudinem dispositionis nostræ; sed quomodo ejusmodi timor & incertitudo cum fide certissimâ, quæ omnem dubitationem prorsus excludat, consistere possit, me videre non fateor: superat hîc Bellarminianum acumen. Adde quod fides nostra non respiciat indispositionem nostram, sed Dei gratiam & misericordiam, ut supra ostendimus; & *εὐσυνδιουο* & ergo illa incertitudo indispositionis.

LXXXIV. Et si Hypotheses suas salvare volunt Pontificii,

si, non possunt non ipsi Dubitationis hoc dogma nocentissimum
jugulare, & propria cedere vineta. Si enim, ut ipsi docent: Lex
ab homine renato perfectè in hac vitâ impleri potest: si
peccatum originis per baptismum penitus deletur: si
Deus homini facienti, quod in se est, dat gratiam neces-
sariò necessitate immutabilitatis: si quodlibet opus bo-
num ex charitate promanans, absolutè meretur vitam
æternam: si monachi opera quædam supererogationis,
aliis communicare possunt ad meritum vitæ æternæ: si
papales indulgentiæ certam peccatorum pollicentur
remissionem, quis amplius dubitationi locus est? quis
in Papatu inter spem merumq; Salutis suæ incertus hæ-
reat, ad quam tam variis & facilibus viis itur? *Vide plura
hac de re apud D. Gerhard. Tom. 3. de justis. § 94.*

LXXXV. Hucusque fuit sententia nostræ de Divinæ gra-
tia erga nos Certitudine Thesis, ejusdemque *κατασκευη*, &
Adstructio ex fundamentis Scripturæ, & cum eâ con-
gruentis Rationis, Patrum & Adversariorum testimo-
nii. Poruisset hic adjungi vindicatio ab exceptionibus adversæ
partis; sed cum sub manu opus crescere viderem, hoc quicquid est
operæ, collationi sententiarum servare placuit. Sequitur nunc

SECTIO III.

Ανασκευη.

LXXXVI. Sententia nostræ modo assertæ acriter se opponit
Ecclesia Romano-Pontificia, quando in Concilio Tridentino de-
cernit *Seß. 6. c. 9.* Nullum scire valere certitudine fidei,
cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei consecu-
tum. *Et Seß. 6. Can. 13.* (damnans *Enchiridii Colonienensis* errorem).
Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccato-
rum assequendam necessariū esse, ut credat certò & absq;
ul.

ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. *Huic Decreto Bellarminus se subjecit, & id defendit l. 3. de justis, c. 3.*

LXXXVII. Nos nonnulla & præcipua Pontificiorum, & imprimis Bellarmini argumenta, quibus colorem & pigmentum sententiæ suæ addere querunt, strictim ac breviter examinabimus ac diluemus.

LXXXIIX. Primum argumentum sumitur à tribus Salomonis sententiis: 1. Proverb. 20, 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato? 2. Ecclesiast. 9, 1. Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. 3. Ecclesiast. 5, 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Forma sic erit: Qui nil de cordis munditiâ, merito proprio, peccatorumve remissione certi potest pronunciare, is nec certus esse potest nec debet, de gratiâ divinâ & sua salute. Sed ea fidelium in hac vitâ conditio est. E.

LXXXIX. Resp. I. Generatim; Certitudinem hanc non dependere à Justitiæ inhærentis puritate, sed à Christi imputatâ: nec ab exactâ resipiscentiæ rigiditate, sed humili sincérité.

XC. Speciatim ad 1. Nemo potest dicere mundum est, vel ut textus originalis habet: וְיִתִּי מִדָּוִד, וְיִתִּי מִדָּוִד purificavi cor meum, propriâ scil. justitiâ, in legis impletione, & merito operum; Hoc enim Phariseismum olet. Mundatum tamen potest fidelis pronunciare cor suum, ex speciali gratiâ divinâ, & meriti Christi imputatione, non absolute, sed secundum humanum modum, ut addit Jansenius, ubi teguntur lapsus, si absit ab humiliato hypocrisis.

XCI. 2. Ecclesiastæ locum enervat Salmeron in 1. Corinth. 12 disp. 14. Hic, inquit, locus nequaquam probat, quod aliqui

qui inde accipiant, hominem nescire amorem Dei erga se, quia sequitur in textu, nescit an vel odio dignus sit. At impii propter maxima sua scelera, norunt, se maxime esse odio dignos. *Rectius Pineda & Sa Jesuita ad hunc locum annotant.* Ex prosperis vel adversis, quæ hic plerumque sine discrimine tam bonis quam malis obveniunt, de statu ipsorum futuro non esse æstimandum. *Constat ergo non tantum nostratum interpretum, sed etiam Pontificiorum calculo, hunc locum exponendum esse de externis eventibus, unde iudicium ferre homini difficile sit, an vel ipse vel alii, quæ perpetiuntur adversa, ad pœnam vel probationem sustineant.* *Quale autem illud Consequentiæ cadaver: Ex eventibus externis cognosci nequit, utrum Deo placeamus. E. nunquam. E. nec ex verbo Dei fides id cognoscere potest. Eadem sanè facilitate & consequentiâ, negarem ego, animæ immortalitatem ex Scripturâ probari posse, quia eodem hoc libro dicitur, c. 3. 19. ex eventu & pari interitu utriusque, quid pecudis & hominis anima differant, non constare.*

XCII. *Camera ad hunc locum respondens, observat Paraphrasem Chaldaeam ita hæc Eccles. verba vertere: Nemo est qui sciat amorem, cum amat; aut odium, quod odit. Hoc est, ex usu linguæ: Nemo novit, sintne appetenda, quæ appetit; aut fugienda, quæ refugit. Quo nihil verius, sæpe enim quæ maxime expetiveramus, deprehendimus experiendo noxia esse: sæpe etiam quæ toto animo refugeramus, postquam evenerunt, reapse deprehendimus huiusmodi fuisse, ut expetenda potius. Et huic Paraphrasi scopus Spiritus Sancti favere videtur. Non enim de Deis, sed hominum, ac rerum amore vel odio agitur. Et sic explicatus locus adversam sententiam nihil prorsus quoque jurabit.*

XCIII. *Tertius locus Ecclesiastici, est: I. apocryphus:*

F

Qua-

Quare non tam nos ferit, quam ipsorum prodit inopiam, qui con-
guntur hujusmodi merces sub Salomonis titulo protrudere. 2.
malè ex fontibus Græcis redditus: qui sic habent: $\omega\epsilon\iota\ \epsilon\grave{\iota}\ \epsilon\grave{\iota}\ \epsilon\grave{\iota}$
 $\lambda\alpha\sigma\mu\acute{o}\delta$, de propitiatione, ut vertit Arias, non peccato
propitiato; cum *Vulg.* $\mu\grave{\eta}\ \acute{\alpha}\phi\omicron\beta\epsilon\theta\ \gamma\acute{\iota}\nu\epsilon\ \epsilon\iota\ \omega\lambda\epsilon\omicron\nu\alpha\sigma\mu\acute{o}\ \omega\epsilon\theta$
 $\delta\epsilon\gamma\alpha\gamma\ \acute{\alpha}\mu\epsilon\tau\iota\alpha\varsigma\ \epsilon\phi\prime\ \acute{\alpha}\mu\epsilon\tau\iota\alpha\varsigma$, ne sine timore sis in abun-
dantiâ, ad addendum peccata super peccata. Unde 3. inu-
tilis ad incertitudinem remissionis peccatorum inferendam: cum
præsumptionem tantum peccandi retundat, propter re-
missionis facilitatem, ne quis fiduciâ remissionis peccatorum &
divine misericordie abutatur ad perseverandum in peccatis.

XCIV. Secundo argent trium hominum perfectissimorum te-
stimonia Jobi, Davidis & Pauli. Quod si, inquit Bellarminus
lib. 3. de Justif. c. 5. viri isti tam insignes, quorum unus dicebat:
Non reprehendit me cor meum in omni vita, Job. 27. 6. alius: Ju-
dica me Domine quoniam in innocentia ingressus sum. Tertius: Ni-
hil mihi conscius sum; non audebant sibi certitudinem propriæ gra-
tiæ arrogare: quis ille, qui de propriâ justitiâ non formidet? Igi-
tur Job. 9. 20. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.
Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit: etiamsi sim-
plex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea: David vero Ps. 19. 13.
Delicta quis incelligit? ab occultis munda me Domine. Apostolus
1. Cor. 4. 4. Nil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.

XCIV. Ad hæc reponimus. Aliud est propriâ justitiâ intui-
tescere, aliud gratiæ reconciliationis conscientia erigi. Nec
idem est, in hac vel illâ causa innocentiam, vel in officio fi-
delitatem asserere, & absolute $\acute{\alpha}\nu\alpha\mu\acute{\alpha}\tau\eta\tau\eta\varsigma$ in omnibus prædica-
re. Certitudinem gratiæ & in Deum fiduciæ, inter maximos Sata-
næ insultus nunquam deponit, Job. 13. 15. Etiamsi occiderit me,
in ipso sperabo; vel juxta Ebr. Si enecaret me, non spe-
rare? per interrogationem, c. 19. 25. Scio quod redemptor
meus

meus vivit. Sic David Psal. 118. 17. Non moriar, sed vivam,
& narrabo opera Domini. Nec aliter Paulus, Rom. 8. 38.
Vid. supr. Thef. 53. & 54.

*XCVIII. Tertium cuditur argumentum ex istis locis, qui-
bus ex parte nostrâ, variâ requiruntur conditiones ad
firmitatem hujus certitudinis, quas incertum est, an im-
pleamus. Deut. 4. 29. Cum quaesieris Dominum, invenies eum, se-
tamen in toto corde quaesieris eum. 2. Par. 6. Si conversi fuerint
ad te in toto corde suo, ex audies de caelo, & dimittes populo tuo. &c.
Ezech. 18. Si impius poenitentiam egerit, vitâ vivet. Act. 8. 37.
Si credis ex toto corde, licet.*

*XCIX. Resp. Certi esse possumus de Conditionum im-
pletionem verâ, seriâ & sincera absq; hypocrisi, utcumque
non de perfecta, & omnibus numeris absoluta. Et illa suf-
ficit; & defectus, qui carnis nostrâ imbecillitati adheret, supple-
tur perfectissimâ Christi obedientiâ, & sic condonatur. Possumus
autem poenitentiam & fidem veram deprehendere ex suis
effectis & signis certissimis, e. g. Verbi & Sacramentorum usu,
serio honorum operum studio, luctâ cum infidelitate, Matth. 9. 24.
cum reliquiis carnis. Gal. 5. 24. gratiâ divinâ desiderio, spiritus in-
terno testimonio, &c. Quin imò Fidei verâ hæc quasi quædâ condi-
tio videtur esse, ut itâ in seipsam reflectatur, & credentemq; afficiat, ut
dû actu credit, simul credat & sentiat se credere. Et convenit ei hæc
parte cum intellectu. Quemadmodum enim illa Duplex est:
Recta, quâ omnia alia extra nos intelligimus; & Reflexa,
quâ intelligimus, nos intelligere. Ita quoque Fides Chri-
stiani consideranda venit, ut sit & recta, quâ creduntur alia omnia
in Scripturis sacris revelata & reflexa, quâ fides ipsa scitur & cre-
ditur. Et hoc ultimum exemplum de Æthiopo, Act. 8. re-
ctissime in adversarium torquetur. Querenti enim Philippo, cre-
datne toto corde? respondet fiducialiter, credo. Non ignora-*

bat ergo fidem suam, non ambigebat de eâ, quin imò certissimè illam se habere persuasus erat, & tamen in Scripturâ *אֱתִיּוֹפְיָא* non legerat. Hic Æthiops credit.

XCIX. Quartum argumentum fabricant ex iis testimoniis, quæ incertam relinquunt peccatorum remissionem post peractam pœnitentiam. Dan. 4. Forſan ignoſcet Deus. Quis ſcit, an convertatur, Joël. 2, 14. Act. 8, 22.

XCIX. Reſp. in genere. Certitudo noſtra non conſiſtit, ut non ſemel ante monuimus, in diſpoſitionis affectu, ſed divinæ promiſſionis inſalubili effectu. Speciatiim, Particula dubitationis non invenitur apud Danielem, ſed in illativa vocula: nec aliud niſi conſilium Danielis Regi Nebucadnezari ſupeditatum deſcribitur, ut imminentes regno ſuo pœnas verâ ad Deum converſione, & vitâ in melius mutatione declinare, ſtudeat. In ſummâ: Ubi huiusmodi dubitandi particulae occurrunt, non tam dubitantium ſunt, quàm res bono eventui committentium; eaſq; temporales potius, quàm ſpirituales. Qui enim adducuntur loci, potiſſimum afflictiones corporales reſpiciunt; & ſic non inſpiciamur, poſt remiſſam culpam, converſos peccatores Deum nihilominus caſtigatib. affligere, non quod ſibi pro peccatis illis ſatis fiat, ſed ut ipſorum fides ac patientia probeatur ac exerceatur.

C. Quinto adſciuntur contextus, qui confidentiam hanc, de quâ loquimur, aperte concutiunt. Prov. 28, 14, Beatus homo, qui ſemper pavidus. Phil. 2, 12. Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini. E. de fide certi eſſe non poſſumus, cum timendum.

CI. Obſervamus, formidinem in his locis non opponi fiduciae in Chriſti promiſſis, ſed ſecuritati & præſumptioni carnali de integritate propria. Formido igitur talis & fiducia, cum diverſa reſpiciant; unum idemq; ſubjectum ſimul afficere poſſunt.

sunt, præsertim tale, in quo carnis & spiritus opposita princi-
pia, perpetua inter se miscent prælia. *Es* enim non fervilis sed
filialis hic metus, qui tantum abest, ut veræ fidei advessetur, ut
potius vires addat, flammamq; amoris divini ardentiorē in fide-
libus efficiat. Duplex autem est. Primò quo corripuntur Chri-
stiani, cum de periculis, quibus se obsessos vident, solliciti sibi diffi-
dunt, & ad Deum con fugiunt, quomodo qui matris ulnis gestatur
infans præcipiti loco, tanto arctioribus matrem amplexibus alligat,
quanto casus magis metuendus, itaq; sibi diffusus matri fidit, cer-
tus se casurum mi adharescat. *Es* & alter, quo fideles, non tam
corripuntur quàm ducuntur, estq; reverentia divinæ ma-
jestatis, orta tum à consideratione, tum bonitatis & gloria
Dei, tum nostri peccati & miseriæ. Bonitas Dei amabilem
eum reddit, ut gloria reverendum, peccati verò & miseriæ nostræ
conscientia ad humilitatem nos demittit.

CII. Sextò. Argumentantur ex Patrum testimoniis, quorum
19. adducit Bellarminus libro sæpius citato, c. 7.

CIII. Resp. breviter: Vel exagitare curatos Patres occasione
natâ, carnalem securitatem, qua sibi ipsis abblandiuntur sine
certis iudiciis torpidi: Sic præcipue citati à Bellarmino Chry-
sostomus, Gregorius, Innocentius; vel reprimere super-
biam spiritualem: ubi immunitatem à lapsu somniant elati,
ut, Basilii, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus,
Beda: vel inhærenti justitiæ non audent confidere, ut Augu-
stinus; nec certitudinem hanc à priori descendendo, ab occul-
to Dei decreto derivandum docent; sed à posteriori ad illud
adsurgendum, ut ostendit Bernardus.

CIV. Ratiuncula nonnullæ adjiciuntur Bellarmini iudicio
egregiæ; doctiorum viles & elumbes. Nos tangemus saltem, &
summa rerum sequemur vestigia.

CV. 1. Non continetur immediate in verbo Dei: Tibi Pe-
tre

ere vel Paule remittuntur peccata. E. Hoc non credendum.

CVI. Respond. Neq; uspiam legimus tu Paule, Quinte, & c. vel tu Roberte Bellarmine accipias auctoritatem ligandi vel solvendi, Ergone irrita erit Papæ vel cujuslibet Sacerdotis absolutio? Non dicit Scriptura eoridem verbis & apicibus, me, te, illum vel alium quempiam, factos ad imaginem Dei: Ergone hoc ignorabimus? Ergone ad imaginem Dei non creati? Auribus animisq; hominum absurdum. Credideram ego particularem ex generali, non Logicè tantum, sed & Theologicè deduci.

CVII. 2. Articulus de Remissione peccatorum particulari in nullo Symbolo reperitur. E. non credendus.

CVIII. Resp. Excidit, ut videtur, Pontificiis iste Articulus: Credo remissionem peccatorum, quem si particulatim non nôrint applicare, quid credunt, quod Dæmones etiam non profiteantur? Et si ex mente illorum, non alius verborum horum sensus est, quam: Credo in Ecclesiâ esse donum remissionis peccatorum; nec alius fuerit sequentis immediate articuli: Credo carnis resurrectionem. Credent ergo, non suæ carnis resurrectionem, sed saltim in Ecclesiâ Catholicâ fore ejusmodi carnis resurrectionem. Valeant cum hac fide, & oblectentur se in eâ, quantum volent, non ea ad nostrum palatum vel votum.

CIX. 3. Non expedit, inquiunt, ut homines habeant hanc certitudinem, superbiæ enim & socordie fomentum esse. Idq; probant exemplis Augustini, Gregorii & Pharisei, Luc. 18.

CX. R. Nec expedit eadem ratione Jesuitis Scripturas legere, ne inde hæretici evaderent. Abusus per accidens non præjudicat rei per se salutari. Deo soli optimè notum est, quid expediat, quid minus; nec standû hîc perverse rationis judicio, quæ hinc inde multa $\mu\omicron\sigma\mu\omicron\lambda\upsilon\mu\epsilon\alpha$ eruere potest. Et deinde, si necessario & semper hac incommoda fidei certitudinem comitarentur, tum nemi-

ni unquam nec à Deo eam revelatam oportuiffet, quod tamen ipfi concedunt ac defendunt. Augustinus & Gregorius reprimunt saltim factum de operibus nostris. Pharifæi exemplum à τὸν ἐστὶ, ille nil minus, quam certus erat de suâ justificatione, sed illam de suâ justitiâ superbè sibi imaginabatur. Nullum ergo ex Certitudine fidelium, ex justificatione gratuitâ, per alienam & Christi justitiam, superbiæ periculum. Sed nec Socordia. Nam ut illa ipsa vita, quam homo se vivere sentit, movet ac hortatur eum, ut utatur is mediis, quæ vitæ sustentanda data sunt: ita fideli, ea ipsa, quâ justificatum se credit, fides, imperat omnia ejusdem fidei officia, ut quo de salute suâ fidelis sit certior, hoc minus salutis media spernat, quibus fides augeri ac ali solet.

CXI. Et sanè si rem rectè putemus, illa quæ nostræ sententiæ falsò affinguntur incommoda, in contrariam Pontificiorum vere redundant. Minuit illa redemptionis beneficium, vim fidei funditus tollit, Deum mendacii ac perjurii reum agit, conscientia pacem & tranquillitatem turbat, testimonium Spiritus sancti, sigillum, arrhabonem, in meras prestigias & suavia somnia commutat. His nos incommodis veris moti, rectè in detestationem tam perverse, & dubitationum refertissimæ sententiæ adducimur, nunciumq; mittimus.

CXII. 4. Certitudo Salutis Privilegium fuit tantum nonnullorum, quibus ea revelata; S. Antonii &c. R. At verò hoc est controversiam controversiâ dissolvere, & ἀπεῖναι τὸ ἐν δεξιῇ.

CXIII. Finiamus Gregorii de Valentia Sophismate, quo nimium quantum sibi placet, ac gloriatur unicum se argumentum reperisse, quo universæ doctrinæ de justificatione jugulum petat. Arrigamus aures. Dicunt, inquit, Sectarii, certitudinem sive persuasionem hanc unicum esse medium ad acquirendam Christi gratiam. E. Credendum est prius te habere gratiam, quàm habeas.


[CXIV. Ac

*CXIV. At quis unquam è nostris tam præposterè nugatur?
Justificationem nostram, ex gratiâ & merito Christi dupli-
cem posse considerationem subire scimus, ut respectus fiat
vel ad prævisionem & acquisitionem divinam, vel ad ap-
plicationem. Ratione prævisionis & acquisitionis Re-
missio peccatorum & Gratia naturâ prior est Actu fidei; non enim
fides efficit aut acquirit gratiam, sed illam à Deo in Christo obla-
tam apprehendit. Et tum ratione applicationis, remissio pecca-
torum simul est cum actu hoc fidei apprehendentis, & per hunc
salutaris credenti existit.*

*CXV. Hæc de Utilissimâ ac arduâ hac Contraversâ, non pro-
rei dignitate, sed ingenii modulo dicta sunt. Faxit Deus, ut ar-
mari hac fidei certitudine, veluti clypeo probatissimo tela Satane
ignita animosè excipiamus ac retundamus. & ad ultimum usq;
vitæ halitum in eâ perseverantes, æternæ beatitu-
dinis lauream consequamur.*

Amen.

כרך יהודה לעולם ;



the scale towards document

Deo eam revelatam oportuiffet, quod tamen ipfi
fendunt. Augustinus & Gregorius repri-
tum de operibus nostris. Pharifæi exemplum cō-
tinuus, quam certus erat de fuâ iuftificatione, fed il-
iâ superbè fibi imaginabatur. Nullum ergo ex
lium, ex iuftificatione gratuitâ, per alienam
am, superbie periculum. Sed nec Socordia.
vita, quam homo fe viuere sentit, movet ac hor-
tatur is medis, quæ vitæ fufcentandæ data funt:
a, quâ iuftificatum fe credit, fides, imperat omnia
ficia, ut quo de falute fuâ fidelis fit certior, hoc mi-
ia fpernat, quibus fides augeri ac ali folet.

ne fi rem rectè putemus, illa quæ noftræ fententiæ
tur incommoda, in contrariam Pontificiorum ve-
linuit illa redemptionis beneficium, vim fidei fun-
m mendacii ac perjurii reum agit, confcientiæ pa-
litate turbat, testimonium Spiritus fandi, figil-
m, in meras præftigias & fuavia fomnia commutat.
modis veris moti, rectè in detestationem tam per-
ationum refertiffimæ fententiæ adducimur, nun-
s.

Ceritudo Salutis Privilegium fuit tantum non
us ea revelata; S. Antonii &c. R. At verò hoc eſt
controverfiâ diffolvere, & ait eadē rō cō dē Xij.
viamus Gregorii de Valentia Sophifmate, quo ni-
fe fibi placet, ac gloriatur unicum fe argumentum
niverfa doctrinæ de iuftificatione jugulum petat.
res. Dicunt, inquit, Sectarii, ceritudinem five
anc unicum eſſe medium ad acquirendam Chrifti
credendum eſt prius te habere gratiam, quàm ha-

[CXIV. Ac